



# **Dissertatio medica inauguralis de necessitate repetendi variolae vaccinae insitionem varioloidibus probata**

<https://hdl.handle.net/1874/9754>

22

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
**NECESSITATE**  
REPETENDI VARIOLAE VACCINAE INSITIONEM  
**V A R I O L O I D I B U S**  
PROBATA,  
QUAM,  
FAVENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
**GEORGII GUILIELMI VREEDE,**  
JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,  
NEC NON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET  
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,  
**PRO GRADU DOCTORATUS**  
SUMMISQUE IN  
**M E D I C I N A**  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
**LUDOVICUS CHRISTIANUS VAN GOUDOEVER,**  
*RHENO-TRAJECTINUS,*  
DIE VIII M. DECEMBRIS A. MDCCCXLV HORA V.

---

**DRUSIBURGI,**

TYPIS MANDAVIT

A. F. H. VAN TROOSTENBURG DE BRUIJN.

—  
MDCCCXLV.

P A R E N T I B U S  
O P T I M I S , C A R I S S I M I S ,  
C O G N A T I S  
D I L E C T I S S I M I S ,  
P R A E C E P T O R I B U S ,  
Q U O S C U N Q U E H A B U I , A E S T U M A T I S S I M I S

S A C R U M .

## CAPUT PRIMUM.

### DE VARIOLOIDIBUS.

#### § 1.

*De varioloso morbo eos aggrediente, quos praegressa insitione immunes credidisses.*

Detecta variola vaccina, observata eius vi prophylactica adversus variolas, facta vaccinae insitione in hominibus, spes oborta est, fore, ut dirus iste morbus, tam saepe in fere omnibus terrae regionibus saeviens, tot homines quotannis e medio tollens, tam simplici, et in omnibus ferme casibus, tam innocua operatione prorsus evanesceret, at vero spem sefellit eventus. Jam paucis annis postquam variola vaccina fuerat detecta, et in hominem insitionis ope translata, hic illic casus occurrerunt variolarum, aut saltem exanthematis pustulosi variolis magis minusve similis, vaccinatos afficientium, qui casus lapsu temporis numero increverunt; quaeque tot specificis sic dictis remediis, in initio immoderatas laudes nactis, brevique post fere penitus relictis, donec tandem iis, quo digna essent, assignaretur locus, supervenit sors, eadem et vaccinae insitioni su-

pervenire minata est. Pluribus, de quibus in altero huius dissertationis capite sermo erit, caussis factum est, ut vaccinae insitio laudem, qua tam digna est, pro parte amiserit, et amittere debuerit: morbo enim, licet mitigato plerumque et modificato, tam multis, quibus insita erat vaccina variola, correptis, non aliter potuit, quin dubia orirentur de insitionis virtute prophylactica, et mirum non est, imperitos vaccinae vi saepe omnem fidem denegasse.

Exanthema pustulosum variolis plus minusve simile vaccinos corripere posse, hodie nemo facile negabit; perpauci profecto inveniuntur medici, qui contendere adhuc velint varioloides, illam nimirum variolarum modificationem, qualis post insitionem plerumque oritur, non vero semper, interdum enim, uti videbimus, vaccinatæ verae variolæ superveniunt, alium esse morbum, quam veras variolas, et ab iis natura diversum. Hac ratione virtutem prophylacticam vaccinae insitionis perpetuam tueri velle, certo non laudandum est. Antequam vero de differentia et similitudine, quae variolas veras inter et varioloides obtinent, loquamur, nonnulla, licet breviter, afferemus, variolas aut varioloides, si mavis, vaccinos revera aggredi posse probantia. Animadvertendum tamen est, quod ex pluribus auctoribus patet, admodum verisimile, ne dicam certum, esse, in multis casibus, in quibus varioloides adesse credebant, nil aliud nisi varicellas esse abortas.

Si verum est, et verum quidem esse videtur, licet nondum hac de re inter omnes plane constet, veras variolas bis eundem hominem corripere posse, qui casus profecto longe rariores sunt, quam vulgo creditur, quia tam saepe cicatrices varicellis, aut alio quodam exanthemate, herpete v. c., relictæ, pro variolarum cicatricibus habentur, quia etiam medicus tam saepe fallitur aegro affirmante se juventute jam semel variolas esse perpersum; licet igitur tales casus frequentes non sint, interdum tamen occurrere videntur, quod si ita est, quid mirum tunc vaccinae quoque insitionem non in omnibus proclivitatem ad variolas plane tollere? Quo jure quis ab insitione plus expeteret, quam ab inoculatione variolarum, aut variolis ipsis?

Hisce praemissis breviter enarrabimus praecipuos varioloidum casus et epidemias, quae cum in Anglia, tum in aliis regionibus occurrerunt.

Jam Jenner exemplum enarrat hominis variolas perpersi post praegressam vaccinae insitionem <sup>1)</sup>. Post casum memoratum non defuerunt exempla. In actis *institutionis Pearsonianae* nonnulli varioloidum casus leguntur. Acta *societatis Jennerianae* anni 1805, *Collegii regii* anni 1807, etc. plura variolarum vaccinatissupervenientium exempla commemorant. John Adams,

---

1) An inquiry into the causes and effects of the variola vaccina; etc. London 1798, p. 18.

quantum novimus, primus fuit, qui in Anglia epidemiam variolosam satis notabilem apud vaccinos observavit, et quidem in urbe Forfar, in qua ex his mille incolis centum et viginti, licet vaccinati, morbo varioloso fuerunt correpti <sup>1)</sup>. Tum in Anglia, tum in aliis regionibus interdum post vaccinae insitionem verae variolae observatae sunt.

Innumera fere allatis exemplis alia addere facile possemus, a Gregory, Marshall, Bell, Dennett, Stoker, Barnes, multisque aliis observata, quod tamen inutile certo opus foret.

In Succia etiam, Dania, Germania, Gallia, nostra quoque patria multi casus variolarum, vaccinos aggredientium, visi sunt. Sufficiat ex his unum alterumque enumerasse exemplum.

In triginta epidemiis variolosis in Gallia observatis morbo correpti sunt 15,921 homines, quorum 5,963 vaccinae insitionem subierant, quorum 30 altera vice, uti affirmatur, variolis veris corripiebantur. In vehementissima epidemia anno 1828 Massiliae regnante ex 10,000 aegris 2,000 vaccinati erant <sup>2)</sup>.

In Nosocomio, quod Parisiis est, cuique nomen est *de la pitié*, ex receptis 682 variolosis 162 antea fuerant vaccinati; variolis corripiebantur 88, de quibus incertum

---

1) Edinb. med. and phys. Journal. 1814.

2) Comptes rendues hebdomadaires des séances de l'Académie des sciences, 1845. Tom. XX. No. 10.

erat, utrum in iis instituta fuisset insitio, nec ne, dum 14 secunda vice variolis afficiebantur 1).

In regno Wurtembergiae inde ab anno 1831—1836 morbum passi sunt 1,677 homines, quorum 1,055 vaccinati 2).

In diversis etiam nostrae patriae locis observatae sunt varioloides aut sporadice aut epidemice regnantes; exempla illa enumerare supervacaneum opus foret, verbo tantum adhuc mentionem faciemus de epidemia variolosa nuper in pago Bunschoten grassata. Satis extensam fuisse hanc epidemiam facile ex numero eorum, qui corripiebantur, effici potest, ex 1,064 enim incolis morbus aggressus est 402; vehemens tamen non fuit, nam mortui tantum sunt 37. Omnes, quibus durante epidemia insita est variola vaccina, a morbo immunes fuerunt.

Inde a die 29 m. Sept. 1844 usque ad d. 15 m. Febr. huius anni correpti sunt 207, quorum 30 antea insitionem subierant; ex 177 non vaccinati diem obierunt 12, ex 30 vaccinati contra nullus sublatus est. Post illud tempus alii adhuc vaccinati varioloidibus sunt affecti, pauci tamen. Omnes, qui varioloidibus afficiebantur, jam ante plures annos vaccinae insitionem subierant.

Ex omnibus hisce facile patebit numerum eorum, qui, etsi iis insita sit variola vaccina, tamen variolis corri-

---

1) Comptes rendues. l. c.

2) Fr. Heim, Historisch-kritische Darstellung der Pockenseuchen etc. Stuttgart, 1838.



piantur, nequaquam parvi esse faciendum; et necesse esse, ut fides, vaccinae insitioni habita, valdopere labefactetur, nisi causas, quibus adscribendus sit morbus, saepissime detegere, et in multis saltem casibus tollere, nisi quoque repetita insitione prophylaxin fere perfectam reddere possemus.

## § 2.

*Variolae et varioloides gradu tantum, non vero natura differunt.*

» La varioloïde est aussi ancienne que la petite vérole, » inquit Bousquet <sup>1)</sup>, et verum profecto dicit, si variolas mitigatas, post inoculationem cum pure ex pustulis variolosis desumpto provenientes, ita vocare volumus, sed strictiori etiam sensu forsitan eius sententia accipi potest: narrat enim Desportes se varioloides in non vaccinatis quoque saepius observasse <sup>2)</sup>; affirmat N. Ch. Moehl; ex 988 aegris varioloidibus decumbentibus 153 jam semel variolas esse perpeccos, 158 nondum fuisse vaccinatos, et in omnibus his morbi decursum prorsus eundem fuisse, atque in 600 et quot excurrit aegris quibus antea vaccina fuerat insita <sup>3)</sup>.

---

1) Bousquet, Traité de la vaccine et des éruptions variolieuses ou varioliformes. Paris. 1833.

2) Revue médicale française et étrangère, etc. Paris 1826.

3) De varioloidibus et varicellis. Hafniae.

Nonnulli virtutem prophylacticam vaccinae insitionis perpetuam tueri cupientes, varioloides alium esse morbum, quam variolas, contenderunt; ita opinatur Moreau de Jones variolas modificatas novum esse morbum ex tropicis Orientis regionibus ad nos translatum <sup>1)</sup>. Alii cum Heimio varicellarum nomine salutaverunt pustulas apud vaccinatos erumpentes <sup>2)</sup>, posteriori vero tempore aliam hac de re Heimius habuit sententiam, postquam sibi persuasum erat, revera interdum in vaccinatis varioloso contagio exanthema produci posse variolis simile, ab his autem magis minusve decursu, non natura, diversum <sup>3)</sup>. Negari tamen nequit saepe varioloidum, quin et variolarum nomine salutatas esse variolas ita dictas spurias sive varicellas. Heimius in opere citato hac de re exempla enarrat nullum dubium relinquentia. Mentionem facit Naegeli de aegro, quem altera vice veris variolis correptum opinabantur; prima eruptione multae quidem cicatrices relictæ erant, attamen accuratius indaganti patuit viro doct. illas reliquia non esse variolarum sed varicellarum. Affirmat Naegeli se, licet jam multos annos praxin medicam exercentem, nunquam veras variolas bis eundem hominem corripere observasse <sup>4)</sup>.

1) Bulletin des sc. méd. 1826, Déc.

2) Dr. F. L. Heim, Vermischte Schriften, pag. 111 etc.

3) l. c. p. 175 etc.

4) Naegeli, Een woord over koepokinenting. Breda 1844.

Longe vero abest quin omnes casus variolarum post vaccinae insitionem erumpentium ad spurias variolas possint referri, dari varioloides hodie inter omnes constat; videamus igitur qua ratione morbus variolosus vaccinae insitione modificetur, videamus simul num semper talis modificatio obtineat.

Prodromi morbi, stadium eruptionis in utroque morbo, nempe in variolis atque in varioloidibus, prorsus conveniunt, ita ut ex hisce de differentia nequaquam judicari possit; varioloidum decursus per illa stadia saepe quidem, quam variolarum, mitior est, attamen non semper, nam in multis casibus longe vehementior est, quam variolarum benignarum. Interdum variolas in vaccinato erumpentes, et in prioribus stadiis tanquam veras decurrentes videmus, non autem oritur suppuratio: est simplicissima varioloidum species; in aliis casibus suppuratio pro parte tantum obtinet, et subito cessat; in aliis adhuc suppuratio secundum regulam procedit, sed pustularum exsiccatio longe celerior fit, et tandem existunt exempla, in quibus post praegressam vaccinae insitionem variolae oriebantur, signa variolarum verarum prae se ferentes, et eundem prorsus decursum tenentes, licet plerumque minus vehementem et periculosum. Variolas post vaccinae insitionem ortas minus, quam veras variolas, periculosas esse, imprimis ex variolis ita dictis crystallinis et sanguineis effici potest, quae aliter, ut notum est, omnium sunt periculosissimae.

Veras variolas post vaccinae insitionem oriri posse multa probant exempla: sic ex 62 vaccinati variolis correptis 10 veras variolas habuisse affirmat Black <sup>1)</sup>, Fr. Heim loquitur de 186 aegris, qui, licet antea iis vaccina fuisset insita, veris variolis corripiebantur, dum ex iis 146 normales ostenderent praegressae insitionis cicatrices <sup>2)</sup>. Hisce exemplis multa alia adhuc addere possemus, sufficienter tamen indicasse credimus variolas vaccinati supervenientes a veris saepissime plus minusve discrepare, et ab illis imprimis stadio suppurationis differre; attamen non assumere possumus differentiam inter varioloides et veras variolas semper in eo esse sitam, quod in prioribus pustulae semper lympham contineant, nunquam vero pus; illud quidem in multis, imo in pluribus, casibus obtinere libenter concedimus, sed semper obtinere negamus, quia revera suppuratio, quin et febris suppuratoria, in vaccinati variolis correptis oriri possunt.

Varioloides nil aliud esse quam variolas modificatas, qua de re hodie inter omnes fere constat, licet nuper Most <sup>3)</sup> et Malcz <sup>4)</sup> contrarium adhuc demonstrare voluerint, facile probari potest. Jam Rob. Venables exemplum citat hominis, cui non erat insita variola vac-

---

1) Edinb. Journal 1819, No. 58.

2) Fr. Heim, in o. l.

3) Allgemeine medicinische Zeitung, herausg. von K. Pabst. Altenburg 1834, Mai.

4) Schmidt's Jahrbücher, Bd. XXII s. 361.

cina, contagio varioloidibus evoluto expositi, et veris variolis correpti <sup>1)</sup>; et similes casus multi observarunt. Ollenroth et Steinheim contagium, varioloidibus evolutum, veras variolas producens saepius observarunt <sup>2)</sup>; idem Gitterman argumentis nullum dubium relinquendis demonstravit <sup>3)</sup>. Hufeland observationes maximi momenti cum publico communicavit de insitionibus lymphae a varioloidibus desumptae ope institutis, ex quibus efficitur primam inoculationem varioloides adhuc, secundam jam veras variolas produxisse <sup>4)</sup>. Clar. Suerman, Promotor aest. sequentem nobiscum communicavit casum, ab eo in pago Woudenberg observatum: mulier veris variolis corripitur cum eventu lethali; liberi eius, quibus infantibus vaccina variola fuerat insita, paucis diebus post matris mortem ambo varioloidibus corripiuntur, brevi vero sanati sunt; eodem tempore puella, antea vaccinata, eandem domum habitans, contagio infecta varioloidibus levi gradu afficitur. Krugelstein exemplum commemorat viri cuiusdam, cuius uxor levissima varioloidum specie erat affecta, veris variolis correpti, tam vehementibus, ut morti occumberet; contagium hisce evolutum alterum infecit virum, non vaccinatam, ex quo, itidem morbi vehementia necato,

---

1) The London medical and physical Journal, Vol. LIII 1825.

2) Hecker's liter. Annalen, Berlin, 1834. Aug.

3) Verh. der Huarl. maatschappij enz. 1823. Dl. XII.

4) Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. Berlin, 1834. März.

transiit variolosus morbus in duas focminas, quibus antea insita fuerat vaccina variola, et ecce utraque varioloidibus levi tantum gradu corripitur <sup>1)</sup>. Tum ex iis, quae supra allata sunt, tum ex eo, quod nunquam varioloides solae, sed semper simul cum variolis occurrant, quod vaccinae insitione proclivitas ad varioloides aequè bene tollatur atque ad variolas, efficere possumus utrasque unum eundemque facere morbum, eas tamen innumeris modis modificari posse, ita ut fixi limites inter utrumque morbum statui nequeant, quandoquidem observationibus probatum esse videtur non vaccinos varioloidibus corripì posse, et contra vaccinos interdum veras aggredi variolas; quatenus vaccinae insitione proclivitas ad variolas magis minusve sublata fuerit, varioloides quoque cum veris variolis magis minusve convenient.

### § 3.

#### *Quid statuendum de virtute prophylactica variolae vaccinae insitionis?*

Tot homines, etsi vaccinos, morbo varioloso correptos videns, facile quis rogaret: cui bona vaccinae insitio? et profecto haec quaestio multis in mentem

---

1) Krugelstein, Over menschenpokken, varicellen, varioloiden, enz. gewijzigd en vermeerderd door S. P. Scheltema, Arnhem, 1845.

venit, multique, imprimis imperiti, ex causa supra dicta de insitionis virtute dubitare coeperunt, neque mirum est etiam medicos, multos, quos immunes crederant, morbo correptos observantes, interdum de prophylactica insitionis virtute dubitasse. Sed etiamsi verum sit bonam atque tempestivam vaccinae insitionem non in omni casu a varioloidibus tueri posse, variolae vaccinae insitio nihilominus insigniter profuisset; fere semper enim varioloidum decursus decursu variolarum multo mitior est, ac benignior, quumque antea quotannis plura millia diro isto morbo e medio tollerentur, pauci tantum eorum, qui varioloidibus corripuntur, morbo succumbunt.

Narrat Gregory primo huius saeculi quadrante 5,743 aegros morbo varioloso affectos in Nosocomium Londinense receptos esse, quorum tantum 118 obierunt, dum inde ab anno 1775—1800 de 7,017 variolosis 2,277 mortui erant <sup>1)</sup>. Legamus verba, quibus *Collegium Anglicum ad vaccinae insitionem promovendam* utitur: » Depuis l'introduction de l'inoculation, les victimes » de la petite vérole ont été de 5,000 annuellement; » mais depuis que la vaccine a prévalu, le nombre des » morts a décréu considérablement, jusqu'a ce qu'enfin » il s'est réduit a 200 dans l'année 1837 <sup>2)</sup>.”

---

1) London Journal, Vol. IV, Febr. 1826.

2) Revue Britannique, Avril 1839 p. 408.

In Gallia diversis epidemiis 10,434 non vaccinati morbo varioloso correpti sunt, quorum 1,682 mors rapuit, dum ex 5,963, in quibus insitio vaccinae obtinuerat, tantum 62 mortui sunt. In vehementissima epidemia anno 1828 Massiliae grassata, ex 8,000 non vaccinatis 1,473, ex 2,000 vaccinatis 45 e vita sublatis sunt <sup>1)</sup>. Trajecti ad Rhenum anno 1844 varioloidibus correpti sunt 171, quorum tamen nemo mortuus.

Talibus exemplis satis superque probatur magna inventi Jenneriani utilitas, et licet demonstratum esset variolam vaccinam non perpetuo sed pro tempore tantum tueri, magnopere tamen gaudendum esset eo, quod morbus antea dirissimus hac ratione in plurimis saltem casibus tam benignus factus sit; quumque antea variolae foedas vulgo relinquerent cicatrices, hominesque saepe plane deformarent, varioloides saepe nullas, fere semper minoris momenti cicatrices relinquunt; nondum detecta vaccinae insitione quinta vel quarta etiam eorum parte, qui variolis corripiebantur, extincta, nunc longe major aegrotantium numerus vitam incolumem servat.

Verbo adhuc mentio facienda est de observatione a nonnullis medicis facta: numerum scilicet eorum, qui varioloidibus decumbentes moriantur, increscere cum tempore inter vaccinae insitionem et morbi ortum delapso, ita ut varioloidibus adulti plus quam infantes

---

1) Comptes rendues etc. 1845, No. 10.



periclitentur, dum de variolis multi contrarium observaverint, cas nempe infantum vitae magis imminere quam adultorum <sup>1)</sup>).

Ex numeris eorum, qui varioloidibus affecti erant, supra allatis nequaquam tamen est efficiendum majorem illorum, quibus insita fuit vaccina, partem grassantibus epidemiis morbo corripere; non ita, plurimi vaccinae insitione pro vita a variolis liberi sunt: in epidemia quae Massiliae saeviebat, vehementissima, dimidia pars non vaccinatorum morbum passa est, vaccinatorum tantum decima quinta <sup>2)</sup>). In nonnullis epidemiis correpti tantum sunt illi, in quibus vaccinae insitio non obtinuerat, dum omnes vaccinati incolumes fuerunt. Affirmat Naegeli ex 4,000 infantibus, quibus inde ab anno 1806 ad 1814 in Helvetiae provincia, cui nomen est Aargau, vaccinam inseverat, nullum, quantum scire potuerit, ad hoc usque tempus varioloides passum esse, etiamsi variolae interdum vehementer in illa regione saevierint <sup>3)</sup>). Cl. N. C. de Fremery, quem praeceptorem habuisse gratus recordor, testatur de 720, ab eo per viginti tres annos vaccinalis, nullum omnino, quantum sciat, varioloidibus esse correptum <sup>4)</sup>). Clar. Suerman

---

1) Comptes rendues l. c.

2) Bousquet, Traité de la vaccine etc. p. 195.

3) l. c.

4) Verhandeling over de Vaccine enz., in vaderl. letteroefeningent 1824, No. 3.

benevole nobiscum communicavit litteras a doct. van der Leeuw acceptas, ubi legimus illum inde ab anno 1828 in urbe Amersfoort pluribus centenis hominum inesse vaccinam, horumque neminem, dummodo insitionis decursus regularis fuisset, varioloidibus affectum esse; idem affirmat doct. Weyl in eadem urbe praxin exercens; Albers epidemiam variolosam observavit, et in hac quinquies varioloides vidit <sup>1)</sup>; Bremer apud 14,521 vaccinos nullum, ut affirmat, casum variolarum detegere potuit <sup>2)</sup>; de Carro per viginti annos tria tantum exempla varioloidum observavit <sup>3)</sup>.

Videmus igitur longe majorem partem eorum, quibus insita fuit variola vaccina, proclivitatem ad variolas amississe et minorem tantum partem data occasione morbo varioloso corripere.

Saepe in Nosocomia recipiebantur aegri contagio varioloso infecti, absque eo tamen ut jam pustulae prorupissent, qui igitur aegri cum aliis, reconvalescentibus etiam, in contactum veniebant; plurimi tamen eorum, quibus insita erat variola vaccina, a morbo immunes fuerunt, quod eo magis virtutem insitionis prophylacticam probat, quia, ut notum est, stadium reconvalescentiae morborum corpus ad suscipiendum contagium quodcumque magis proclive reddit. Parisiis, et idem

---

1) Hufeland's Journal, Bd. XII. St. 2. 1815.

2) Horn's Archiv, 1811, Hft. I.

3) Hufeland's Journ. Jun. 1820.

de aliis locis valet, variolosi, quorum in ista urbe quotannis permagnus adhuc numerus in Nosocomia recipitur ut plurimum a vaccinatis curantur, quotidie illos adit magnus numerus medicinae studiosorum, et, paucis tantum exceptis, hi omnes a contagio liberi manent <sup>1)</sup>. Quenam est caussa, cur tot homines quotidie contagio expositi, et longe aliter expositi, quam major pars caeterorum hominum, quorum tamen saepe multi morbo afficiuntur, aetate, qua vim vaccinae prophylacticam imprimis imminutam credunt, ab anno nimirum vicesimo ad vicesimum quintum post factam insitionem, morbo non corripiantur; cur tot millibus hominum contagio expositorum variolae parcant? Non credimus nimios fore affirmantes: immunes illi sunt, quia bona ab omni parte apud illos fuit vaccinae variolae insitio.

Hoc certum est omnes fere, exceptis tamen excipiendis, de quibus postea, primis annis post factam insitionem prorsus contagio insensibiles esse, elapsis hisce annis, regnantibus imprimis epidemiis, quendam numerum ad contagium variolosum suscipiendum majori minorive gradu aptum iterum esse (quibus caussis haec renovata proclivitas adscribenda saepe sit, pro momento mittere volumus); partemque longe maximam pro vita proclivitatem amisisse.

An perpetua est vaccinae insitionis prophylactica vir-

---

1) Comptes rendues. l. c.

tus? perpetua omnino est in multis casibus, in aliis vero non est. Quum igitur certum est variolam vaccinam non semper a variolis tueri, sponte venit quaestio: quamdiu tuetur insitio? Num credere possumus, quod multi contendunt, post novem aut decem annos proclivitatem rediisse? Non possumus; plura enim exstant exempla infantum paucis annis, quin mensibus paucis, post factam insitionem, variolis correptorum <sup>1)</sup>; verum tamen esse videtur decem aut pluribus post insitionem annis delapsis proclivitatem in genere majorem esse, quam antea. Proponere nobis non possumus proclivitatem semel sublatam post annos aut menses redire posse, proponere quidem possumus, talem proclivitatem non totam, sed pro parte tantum fuisse sublatam; constat corpus humanum non omni tempore aequae proclive esse ad morbum quendam contrahendum, et haec ob rem multis antea saepius pepercerat morbus, qui postea tamen illo corripuntur. Uti tot corporis condiciones proclivitatem ad variolam vaccinam aut imminuunt, aut tollunt penitus, ita idem de variolis affirmare possumus, uti saepe videmus insitionem juniori aetate semel, bis, quin pluries sine effectu institutam, provectoribus annis pleno successu factam, ita multi quoque contagio varioloso expositi hoc tempore ad contrahendum morbum magis

---

1) Smeets, Verh. der Haarl. maatsch. l. c.

Sas, Het levenslang beveiligend vermogen der vaccine ontkend, enz. Leiden, 1845.

proclives sunt, quam alio. Persuasum nobis est sine fundamento multos asseverare post decem annos proclivitatem ad variolas in vaccinati rediisse; semel enim sublata proclivitas redire posse non videtur; illa vero non tota, sed pro parte tantum sublata, varioloidibus locus datur, quæ tamen non semper hominem post decimum ab insitione annum aggrediuntur, nam uti vidimus, interdum etiam multo citius vaccinati varioloso contagio patent.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE CAUSSIS VARIOLOIDUM.

#### § 4.

*De corporis conditionibus, quae vim insitionis prophylacticam imminuere, quin tollere interdum possunt.*

Ut succedat vaccinae variolae insitio prae omnibus opus est, ut corpus ad suscipiendum virum e pustula desumptum proclive sit, et aptum ad reagendum adversus stimulum allatum. Novimus vero humanum corpus hac proclivitate saepius carere.

Quemadmodum enim nonnulli, contagio cuicumque licet saepius expositi, a morbo liberi manent, alii vero hoc morbo contagioso corripuntur, non corripuntur illo, alii adhuc pro tempore tantum immunes sunt, ita ut hodiè contagio inficiantur, quod antea nullam in illos vim habuerat; sic etiam dantur homines, in quibus vaccinae insitio sine effectu instituitur, dantur multi, in quibus insitionis effectus valde incompletus est. Huius rei causam indagare saepissime nequimus. Non raro insitio instituta fuit in infante, ut videbatur saltem, plena sanitate fruente, sed sine effectu, altera et tertia

vice et saepius etiam facta insitio non magis effecit; ideo tamen affirmare nequaquam possumus talem infantem contagio varioloso expositum morbum non passurum esse. Sequens casus contrarium manifestissime probat, et profecto plura talia exempla ab auctoribus notata sunt. Puellae, scilicet, antea sine effectu vaccinatae, durante epidemia, quae anno praeterito et hoc quoque in pago Bunschoten saeviit, bis in sevit variolam vaccinam doct. van der Leeuw, at vero frustra, etsi insitio, cum eadem lympha eodem tempore in aliis instituta, bene processerat; in eadem epidemia puella ista variolis confluentibus fuit correpta, feliciter tamen sanata est. Infantili aetate frustra tentata insitio in juvene saepe bono eventu fit, an igitur statuendum proclivitatem in infante non adfuisse, adfuisse quidem in juvene? Talis conclusio profecto valde temeraria esset et falsa quoque. Proclivitas semper adest, quod non de vaccina variola sola, sed de variolis veris etiam, de scarlatina et morbillis, deque aliis valet; causa vero altero tempore non eadem ratione agit in corpus, quam altero, saepius enim una eademque causa nunc morbum excitat, quae antea excitare illum non potuit.

Infantes stimulum factae insitionis non aut imperfecte percipientes, variolis insensibiles haberi itaque non possunt; necesse omnino est, iis iteratis vicibus vaccinam inserere, diversaque aetate; tunc tantum de illorum immunitate certiores facti sumus, quando bono eventu

fuit instituta insitio, licet nequaquam contendere velimus eos, non succedente insitione, data occasione, morbo correptos iri, nam uti contagium aliis pro tempore, ita aliis semper pareit.

Durante dentitionis periodo saepissime instituta fuit vaccinae insitio et etiam nunc instituitur, quod dentitionem attinet saepe cum egregio effectu, quoad virtutem ipsius insitionis prophylacticam adversus variolas, forsitan non ita. Dentitionem inde non turbari ex pluribus auctoribus patet, ita Thomassen à Thuessink: »ik en ook alle »andere inenters,» inquit, »voor zoo ver ik dit heb »kunnen nagaan, hebben van het uitkomen der tanden »onder het inenten der vaccine geen ongemak bespeurd, »zelfs niet bij die kinderen, die moeijelijk tanden kregen<sup>1)</sup>. Dicit Husson: »je n'ai pu, dans les nombreux auteurs, qui ont écrit sur la vaccine, trouver »une seule observation d'une coincidence funeste de »la nouvelle inoculation avec la dentition. Tout, au »contraire, semble prouver, que l'influence de la vaccine »a été favorable à ce travail de la nature<sup>2)</sup>».

Quum igitur vaccinae insitio dentitionem saepius promoveret et acceleraret, quumque noxii effectus ab insitione non observarentur, multi hac aetate potius quam alia, aut juniori aut magis profecta, insitionem insti-

1) Geneesk. magazijn. Dl. III. st. I. p. 20.

2) Recherches historiques et médicales sur la vaccine, Paris, p. 243.



tuerunt, hoc modo duplici ratione prodesse cupientes; sed non semper illos profuisse, saepe vero nocuisse certum est. Non raro nimirum durante hac periodo frustra tentatur insitio, saltem imperfecta est pustularum eruptio. Ex tali tamen insitione ad absentem aut exiguam proclivitatem ad variolas concludere nequaquam licet, saepe enim tales infantes peracta dentitionis periodo cum successu insitionem patiuntur.

Stimulo sive physiologico, sive pathologico in corpore praesente, videtur proclivitas ad variolam vaccinam esse imminuta, interdum prorsus oppressa. Materies, quo iusitionis ope corpori ingeritur, absorbetur quidem vasis lymphaticis, sed non agit in systema sanguiferum et nervosum, neque in cutem, localis processus, pustularum nempe eruptio, non aut imperfecte locum habet.

An igitur cum Krugelstein <sup>1)</sup> statuere possumus stimulum materie corpori ingesta allatum non evolvi eo, quo admotus fuerat loco, sed derivari ad locum sive physiologicè sive pathologicè stimulatum, sic in dentitione, stimulo physiologico, derivari ad alveolas, partesque vicinas, et ibi topicam actionem promovere? Hoc si verum est vaccinae insitio imperfecta in tali casu fuit, et unice aut magna parte promovendo actionem physiologicam profuit.

Infantibus, morbis febrilibus laborantibus, non inse-

---

1) Krugelstein, l. c.

renda variola vaccina; in tali enim corporis conditione de insitionis effectu nequaquam certi esse possumus. Interdum etiam acutis morbis corripiuntur infantes, quibus brevi ante insita erat vaccina; hisce in casibus variolae vaccinae decursus valde diversus fuit; nonnunquam enim pustulae jam ortae non amplius evolvebantur, sed per morbi decursum immutatae manebant, et finito morbo ulteriorem decursum absolvebant; nonnunquam morbo intercurrente pustularum decursus prorsus turbatus erat, nunc decursus fere idem erat atque in normali corporis conditione; in aliis adhuc casibus insitionis effectus nullus erat. Vaccinae insitio in omnibus hisce est repetenda, nec confidendum factae insitioni, etiamsi eius decursus regularis fuisset, sed in hoc quoque casu potius iteranda iusitio. Quoties vero non repetita fuit vaccinatio?

Constat vaccinae insitionem apud scabiosos saepe frustra institui; saepe etiam pustulae quidem erumpunt, quae vero nono vel decimo die pure implentur flavo, impuro, a lymphâ bonis pustulis contenta, magnopere discrepante. Talem insitionem nullam habere prophylacticam vim aut exiguam saltem facile intelligitur.

Non tamen omnes enumerabimus morbos, qui insitionis effectum aut prohibere aut imminuere possint, quod ingratum simul et inutile opus foret; hoc loco verba adhuc facere cupimus de iis corporis conditionibus, quae, uti vaccinae insitione saepe sanantur aut mitigantur, ita insitionis virtuti prophylacticae praecipue nocent,

nempe de affectionibus scrofulosis, quacunq̄ tandem forma prodeant.

Ad intelligendam rationem, qua in scrofulosi opem ferat vaccinae variolae insilio, tum ipsum processum post insitionem obtinentem, tum naturam variolarum, tum scrofuloseos cognovisse deberemus. In scrofulosi imprimis systema vasorum lymphaticorum et glandularum conglobatarum esse affectum constat; non vero certo constat, quodnam systema prae aliis in variolis sit affectum. Videtur autem, uti opinatur Eichhorn<sup>1)</sup>, in variolis systema lymphaticum primas partes tenere; in hoc quoque systemate, et imprimis in glandulis lymphaticis reproductio materiei variolosae obtinere, inque illo proclivitas ad variolas, et actio etiam, qua deletur illa proclivitas, quaerenda videtur. Saepius G. L. Hofmann<sup>2)</sup> post inoculationem variolarum tensionem et ardorem, pressionis et interdum doloris sensum in glandulis axillaribus observavit; eademque phaenomena post inoculationem, in extremis inferioribus factam, in glandulis inguinalibus vidit. Symptomata illa ex vulnuscule per inoculationem inflictio explicanda non sunt, neque etiam ex vulnerato vase lymphatico, et sic accensa lymphaticorum vasorum et glandularum vicinarum inflammatione, intelligi possunt; nam afficiebantur glandulae postquam vulnuscule

---

1) Handbuch über die Behandlung und Verhütung der contagiös-feberhaften Exantheme. s. 87.

2) Abhandlung von der Pocken, Munster.

jam erat sanatum, et ante pustularum eruptionem. Contagium igitur jam in glandulas agit, antequam actionem in cutem exerceat. De lymphaticorum inflammatione in hisce casibus ne vestigium quidem aderat. Eadem interdum observantur symptomata in iis, qui variolarum contagio expositi erant, ante exanthematis eruptionem. Non tantum post inoculationem variolarum, verum etiam post variolae vaccinae insitionem symptomata, systema lymphaticum affectum esse denotantia, saepius observari, fere omnes testantur vaccinatores.

In corpore reproductionem suscepti contagii locum habere, nemo est, qui dubitet, in systemate lymphatico hancce reproductionem obtinere, verisimile est; contagium illud materiale quid esse debet, materie ista e corpore excreta, proclivitas ad morbum variolosum deleta sit oportet.

Num variolae vaccinae contagium cum varioloso contagio quoad indolem conveniat, nescimus; hoc tamen certum est utrumque proclivitatem ad variolas posse delere; quum igitur variolae non sint morbus cutaneus simplex, sed earum sedes in ipso organismo sit quaerenda, exinde sequitur etiam variolam vaccinam ibi agere, ubi proclivitatem ad variolas tollere possit.

In morbo scrofuloso systema lymphaticum praecipue affectum est; stimulando hoc systemate peculiari ratione vaccinae insitio in hoc morbo prodesse itaque videtur. Jam frequens experientia comprobavit saepius repetitam

vaccinae insitionem in multis casibus praestans remedium sistere in diversissimis affectionibus scrofulosis. Ita Eichhorn. » Scrophulen, » inquit, » so wie die darin » begründeten chronischen Augenzündungen und Ausschlagskrankheiten, als der gutartige Kopfgrind, die » Milchborke, etc., finden das sicherste Heilmittel in » der Wiederholung der Kubpockenimpfung <sup>1)</sup>. » Multique alii idem observarunt. Ita narrat Smeets de puero, duos annos nato, summo gradu rhachitico et scrofuloso, septies repetita vaccinae insitione plane recreato; insitione iterum facta pustulae oriebantur pulcherrimae, decursum valde regularem tenentes. Opinatur Vir doct. puerum hac demum insitione proclivitatem ad variolas amisisse <sup>2)</sup>.

Vaccinae insitione vim tam salutarem in scrofulosin exercente, quid mirum multos insitionem instituisse in infantibus illa dyscrasia laborantibus? Facile autem unicuique patebit insitionis effectus in talibus infantibus eodem esse non posse, atque in illis, quorum intacta est sanitas. Variolae vaccinae decursus in scrofulosis saepissime a normali eiusdem decursu differt, tum quoad effectus locales, tum quoad generales. In permultis scrofulosis per unam tantum insitionem proclivitatem non esse sublatam firmiter credimus, eosque grassantibus epide-

---

1) Eichhorn, o. c. s. 190, 191.

2) Smeets, l. c. p. 151.

miis contagio prae aliis infici posse nobis persuasum est.

Si vera sunt, quae diximus, proclivitas ad contrahendas variolas in multis aut tota, aut pro parte, remansit, et remanebit, donec, sanata dyscrasia scrofulosa, altera instituta sit vaccinae insitio.

Multi etiam medici peccare videntur, variolam vaccinam omnibus infantibus, nulla habita aetatis ratione, inserendo. Saepe enim insitio fit in infantibus nonnullas tantum hebdomades, vel paucos menses natis. Audiamus, quae hac de re affert S a c c o. » De eerstgeboren mensch, » inquit, » is een zwak wezen, hoogstgevoelig voor iederen indruk » van de hem omgevende lichamen; hij draagt reeds » in zijn organisme de kiem van ziekten, in hem voort- » geplant door hen, van welke hij het leven ontvangen » heeft, kiemen, die bij de minste onvoorzigtigheid zich » snel ontwikkelen. Slechte voeding, koude, hitte, » onachtzaamheid der voedsters, de snelle ontwikkeling » van zijn eigen organisme, en duizende andere omstan- » digheden bedreigen het kind in de eerste dagen van » zijn leven bestendig met eenen vroegtijdigen dood. Met » den toenemenden ouderdom nogthans neemt ook het » ligchaam in krachten toe, en verkrijgt meer sterkte » om zijne uitwendige vijanden te wederstaan. Dwaas » zou het dan zijn een kind in de eerste levensdagen » aan de koepokinenting te onderwerpen <sup>1)</sup> ».

---

1) Smeets, l. c. p. 166.

§ 5.

*De imperfecta variolae\* vaccinae insitione,  
frequentissima imminutae prophylacticae virtutis causa.*

Multis, ut, vidimus nullo aut exiguo effectu inseritur vaccina, vidimus simul illos proclivitate ad variolas ideo non semper carere, certum igitur est in omni tali casu iterandam esse insitionem; hoc autem saepius non fit, saepius nulla habetur ratio caussarum, quae insitionis effectum impediunt, et deficienti proclivitati adscribitur, quod alii omnino caussae attribuendum esset.

Frequenter insitio fit apud infantes uno alterove morbo laborantes. Plerorumque morborum decursu vaccinae insitione non turbato, non haesitarunt multi vaccinam inserere aegrotantibus, imprimis quum facta insitione saepe emendaretur conditio. Praesertim hoc de scrofulosis infantibus valet, quorum ingenti numero insita fuit, et etiamnunc inseritur vaccina. Tuto enim statuere possumus dimidiam omnium infantium partem, in nostra saltem patria, inque aliis regionibus depressis, humidis, majori minorive gradu scrofulosi laborare, et tamen fere nunquam sanata est scrofulosa dyscrasia ante factam insitionem. Libenter quidem concedimus difficillime esse insitionem tantum in sanis infantibus instituere; et scrofulosos infantes aequae bene atque

alios contagio varioloso esse expositos; non contendum insitionem in illis non esse instituendam, nam etiamsi in illis non perfecta sit et perpetua insitionis prophylactica virtus, tamen pro tempore existit, eosque per annos saepe a morbo varioloso immunes reddit. Si vero tales infantes contagio expositi ocius vel serius corripuntur variolis, nequaquam est accusanda insitionis prophylactica vis, accusanda est scrofulosis, quae salutaes insitionis effectus magis minusve impedit.

Alia verosimiliter causa frequentis varioloidum ortus repetenda esse videtur ex insitione nimis cito facta, ita ut interdum infantes non plus quam tres hebdomades nati insitionem subeant. Dolendum omnino est auctores enumerare quidem plurimos varioloidum casus, fere nullum autem eorum indicare, quaenam fuerat aegri conditio eo, quo instituebatur insitio, tempore, nullum fere mentionem facere de aetate, qua fuit instituta. Ex cicatricibus in brachiis praesentibus ad bene peractam insitionem concludere non licet, cicatrices enim bonas saepe habent ii, qui varioloidibus decumbunt; forma nimirum et adpectus cicatricis tot causis possunt modificari, ut ex iis solis non petenda sit conclusio.

Magni profecto momenti esset cuiusvis insitionis accuratam servare historiam, mentionem in illa facere de corporis conditione, de pustularum erumpentium decursu, de omnibus, quae in decursum illum vim ha-



bere potuerunt, de aetate denique infantis insitionis tempore; simul quoque notandum esset a quonam infante, et quo die, materies, insitioni inserviens, esset desumpta.

Non autem semper in vaccinalis caussa est quaerenda, accusandi saepe sunt illi, qui insitionem instituerunt, accusanda saepe est materies ad insitionem faciendam adhibita.

Insitio, ut notum est, simplicissima operatione perficitur; jam minima lymphae pars ad locales et generales effectus producendos sufficit, quin imo interdum orientur pustulae sine ulla facta apertura, quod de pluribus eorum valet, qui vaccas mulgendo sibi contraxerunt variolam vaccinam.

Nequaquam opus est ut sanguis ex facto vulnuscule proveniat, aut si provenit, tunc exigua tantum guttula effluat oportet; saepissime autem facta sub epidermide punctione major sanguinis gutta effluit, atque in tali casu facile ingesta in vulnusculum lymphae sanguine ablui et dimoveri posset.

Operatio igitur, quum tam simplex sit, nequaquam contendere volumus eam saepe non bene perfici, hoc tantum contendimus multos vaccinam inserere infantibus nulla habita ratione eorum omnium, quae variolae vaccinae decursum turbare possint, nulla habita ratione materiei ad insitionem instituendam adhibitae, nulla denique ulteriores pustularum provenientium decursus, — Multi etiam auctores negligentiam, qua saepe fit insitio,

unicam aut unam ex principibus caussis varioloidum habuerunt. Legamus, quae hac de re jam suo tempore scripsit Thomassen à Thuessink: »Het ont-  
 » breekt hier en elders niet aan voorbeelden, dat niet  
 » alleen onkundige leken, maar zelfs heelmeesters, die  
 » deze kunstbewerking door onkundige knechts of leer-  
 » lingen hebben laten verrigten, zonder daarop zelve  
 » naauwkeurig toe te zien, niet alleen uit etterige koe-  
 » pokken, maar zelfs uit oppervlakkige zweren hebben  
 » ingeënt, daaruit onechte koepokken gekregen, en  
 » daardoor bezorgd hebben, dat velen de kinderpokken  
 » gekregen hebben, en sommigen daaraan gestorven  
 » zijn <sup>1)</sup>.”

Haec vera esse nemo facile negabit, neque opus erit, ut de negligentia, qua saepissime fit insitio, adhuc verba faciamus.

Insitioe facta, pustulis in cute abortis, lympha in pustulis (aut vesiculis potius, pustulae enim pus non continentes proprie non dantur,) contenta ad alias insitiones instituendas adhibita, aut non adhibita, nulla in permultis saltem casibus, habetur ratio ulterioris decursus, neque inflammationis circa pustulas oriundae, neque exsiccationis pustularum, nec cicatricum formationis, quibus non observatis, iudicium de bono insitionis successu ferri nequit. Medicus igitur infantem non ad

---

1) Geneeskundig magazijn, V Dl. 1 st. p. 15.

octavum usque diem, sed diutius observet, si de insitionis effectu certus esse velit.

Jam ante multos annos *Stieglitz* <sup>1)</sup>, et *Hecker* <sup>2)</sup> praenuntiarunt, quod hodie observamus, multos nimirum de virtute insitionis prophylactica aut dubitare, aut, quod tamen de imperitis tantum valet, eam prorsus negare.

Attentione omnino dignum variolas sive modificatas, sive veras, post insitionem erumpentes, imprimis observari in illis regionibus, in quibus insitio, non respiciente magistratu, instituitur. Plurimi varioloidum casus hucusque observati fuerunt in Anglia, Gallia, Italia, Germania, patria nostra, inque aliis, atque in omnibus hisce regionibus praescripta insitionem spectantia aut non data, aut valde imperfecta et incompleta sunt. In Anglia, ubi talia praescripta non dantur, numerus varioloidum permagnus est, in Russia vero, ubi et data sunt talia praescripta, et illis obsequuntur medici, in Russia vis vaccinae insitionis prophylactica longe perfectior fuit, ita ut *Attenkofer* anno 1817, quo tempore in aliis regionibus jam plurima varioloidum exempla visa erant, unum tantum casum commemoret exanthematis post insitionem orti, cumque variolis aliquomodo convenientis <sup>3)</sup>.

---

1) *Horn's Archiv* 1809 B. 3. s. 216.

2) *Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen, u. s. w.* Erf. 1809. Th. II. s. 99.

3) *Klassische Topographie von St. Petersburg.* Zurich 1817 s. 238.

Alia, et quidem maximi momenti illa, quaerenda caussa est in materie ipsa ad insitionem instituendam adhibita.

Multi enim medici, postquam viderant pustularum post insitionem oriundarum decursum morborum conditionibus saepe non turbari, materiem ex talibus pustulis desumptam ad novas insitiones saepissime adhibuerunt. Si verum igitur est insitionis vim prophylacticam morborum corporis conditionibus saepe imminui, verum etiam est, lympha ab infantibus una alterave morbosa affectione laborantibus desumptam, ad insitionem apud alios faciendam non esse adhibendam.

Desumatur itaque lympha ab infante sano, ex pustula bene formata; nec scire sufficit decursum variolae vaccinae in infante, quo ad novam insitionem perficiendam usi sumus, usque ad insitionis diem regularem fuisse, sed ulteriorem etiam observemus decursum, nam non observato illo affirmare non possumus materiem adhibitam aptam fuisse et laudabilem.

Narrat Heimius se viginti duobus infantibus prava lympha vaccinae inesse; pustulis abortis cum veris vaccinis variolis decursu non convenientibus, bona lympha iteravit insitionem, nunc iterum apparuerunt pustulae, quarum decursus omnino regularis erat <sup>1)</sup>. Idem narrat Naegeli <sup>2)</sup>, narrantque alii.

---

1) l. c. s. 113.

2) l. c. p. 9.

Ut notum est, difficulter servari potest lympham, facileque corrumpitur; lympham diu servatam aequae bonam ac recentem non esse jam ex minori eius efficacia patet; saepe enim cum tali lympham insitio sine effectu instituitur, aut pustulaeveniunt quidem, sed parvae, celerius decurrentes quam normales pustulae; si autem, quod frequenter fit, lympham ex talibus imperfectis pustulis desumitur, degeneret vaccina variola necesse est.

Optima adhuc lympham e pustulis desumptam servandi ratio ea est, qua tubis capillaribus *hermetice* clausis retenta conservatur; hoc modo, diutius quam alio, vim suam et virtutem retinere videtur, licet verum sit successus spem minorem semper esse, quam si de pustula ipsa recens lympham desumatur.

Saepe etiam crustas, exsiccationis stadio formatas, et in pulverem redactas, ad faciendam insitionem adhibuerunt; an bono cum successu? Hac de re pronuntiare non audemus; nescimus utrum virtus prophylactica insitionis tali modo factae, aequae completa sit, atque insitionis lympham recentis ope institutae, nec ne. Testantur quidem auctores vaccinae decursum in hisce casibus normalem fuisse, attamen nondum hac de re satis constat.

Jenner ut plurimum lympham octavo die e pustula desumptam adhibuit, hoc enim die, uti etiam septimo, lympham purissima est, et clara admodum, jam nono die turbida fieri incipit, et puri similior redditur, post decimum diem sensim exsiccantur pustulae. Secundum

plurimos auctores octavo die lymphæ ex pustulis desumatur, seriori enim tempore non lymphæ adest, sed purulenta materies, qua non utendum, nisi experientia comprobatum fuerit eius effectum prorsus cum puræ lymphæ effectu convenire. Saepissime tamen insitio fit cum lymphæ post nonnum diem desumpta, tunc enim magnæ sunt pustulae, majoremque liquidi copiam continent, et ad plures insitiones perficiendas inservire possunt.

Lanceola in epidermidem pustulam tegentem immissa tantum parva lymphæ guttula, ex aperto nempe loculamento, exit; lymphæ enim, uti notum est, pluribus talibus loculamentis continetur; non igitur sufficit unum aperire, sed aperiantur deinceps et alia. Non vero lymphæ nimia copia ex uno loculamento aut una pustula desumatur, nam nova quidem secernitur, et satis magna interdum copia, lymphæ, sed nequaquam constat hanc recens secretam materiem eadem virtute gaudere, qua gaudet lymphæ in pustula jam ante factam aperturam contenta.

Restat adhuc ut loquamur de pustulis, secunda insitione ortis. Saepius adhiberi illas ad novas instituendas insitiones satis notum est. Ita Heim, Bousquet <sup>1)</sup>, Lohmeyer <sup>2)</sup>, d'Outrepont <sup>3)</sup>, Muehry <sup>4)</sup>, mul-

1) Schmidt's Jahrbücher, 1834, B. III. s. 265.

2) Med. Zeit. vom Vereine für Heilkunde in Preussen, Berlin 1834, No. 25.

3) Henke's Zeitschrift für die Staatsarzneikunde, B. XLI, Ht. I.

4) Hannöversische Annalen, B. V, Ht. 2.

tique alii talem lympham adhibuerunt, quin etiam Heim lympha ex pustulis eorum, qui, licet antea variolas perpassi essent, instituta insitione bonas monstrarent pustulas, desumta ad vaccinae insitionem usus est <sup>1)</sup>: Talis vaccinam inserendi modus semper imprudens est, nam etiamsi pustulae post insitionem ortae normalem habeant decursum, saltem usque ad eum diem, quo desumitur lympha, nondum tamen de virtute huius lymphae prophylactica certi sumus. Semper incautum esse lymphae ex pustulis, altera vaccinae insitione abortis, desumtae usum ex sequenti videri potest exemplo, a doct. Naegeli relato <sup>2)</sup>; »Zekere Baron, met de »ontdekking van Jenner bekend, bood zijne eigene »kinderen het eerst ter inenting aan. Uit nieuwsgie- »righeid, om de werking der vaccine op zich zel- »ven na te gaan, liet hij zich insgelijks inenten, en »hoewel hij in zijne kindsehheid de variolae gehad »had, kwamen de koepokken ook bij hem op. Of- »schoon nu Dr. Carro wel inzag, dat de koepokken »van den vader niet volmaakt naar die der kinderen, »noch naar de beschrijving van Dr. Jenner geleken, »zoo entte hij echter, zoowel van den eenen, als van »de anderen, andere kinderen in, en deed, na den »geheelen afloop der koepokken, op hen allen de proef

---

1) Badische Annalen der Staatsarzneik. Jahrg. VI. Ht. I.

2) l. c. p. 11.

» der inenting met natuurlijke pokken; en ziet, de kin-  
 » deren; welke met stof van den vader waren ingeënt,  
 » waren de eenigen, die pokken kregen, waaruit Dr.  
 » Carro het natuurlijke gevolg trok, dat de koepok-  
 » ken van menschen, die reeds de variolae gehad had-  
 » den, valsche waren en geene beveiligende kracht  
 » bezaten.”

Quod dictum est et de iterata insitione valet, sique  
 primae insitionis bonae remanserint cicatrices, lympham  
 ex pustulis secunda insitione abortis desumptam, non  
 adhibere licet; et etiamsi tales non adsint cicatrices  
 lympham illa nunquam uti praestat.

### § 6.

*Num materiei ad insitionem adhibitae efficacia  
 temporis lapsu decrescit?*

Quum annis 1815 et 1816 grassantibus epidemiis  
 variolosis multi casus observarentur variolarum in ho-  
 minibus antea vaccinatibus, jam illo tempore complures  
 medici variolam vaccinam labentibus annis minus effi-  
 cacem fieri opinabantur. Hanc minorem efficacitatem  
 imprimis sequenti ratione demonstrare studuerunt.

Observavit Jenner pustulas post insitionem, cum  
 lympham a vacca desumptam institutam, ortas, majores esse,  
 in centro caerulescentes, magisque inflammatas, quam



illas, quae post insitionem cum lympha ab homine desumpta apparerent <sup>1)</sup>. Narrat Thomassen à Thuesink symptomata tum localia, tum generalia, quae in initio anni 1801 observaverat, fortiora fuisse, quam quae sub finem eiusdem anni videret, simulque opinionem profert, bene fieri posse variolae vaccinae efficacitatem sensim ita imminui ut lapsu temporis insitio virtutem prophylacticam amittat <sup>2)</sup>. Sacco <sup>3)</sup>, Stromejer et Ballhorn <sup>4)</sup>, aliique idem opinantur.

Contendunt nonnulli omnia contagia temporis lapsu debiliora fieri; — ita syphilis, lepra, variolae, aliaque exanthemata contagiosa hodie minus maligna essent, quam eo, quo primum in Europa apparuerint, tempore; et ex analogia etiam ad minorem variolae vaccinae efficacitatem concludunt. Quodsi autem vera essent, quae contendunt, morbos contagiosos nempe, jam per saecula in Europa grassatos, nostro tempore benigniores esse factos, quam antea, quod tamen de variolis nequaquam valet, hoc tamen nihil probare posset pro minori facta vaccinae, tam recentis adhuc, efficacitate.

Variolarum vehementiam hodie non minorem esse quam antea, luculentissime probat epidemia, quae anno

---

1) An inquiry into the causes etc. London 1798.

2) Geneesk. mag. Dl. II. st. 3.

3) Journ. der ausl. med. Litt. von Hufeland, Harles und Schraeger, Jan. 1802. s. 77.

4) Hufeland's Journ. der pract. Arzneik. Bd. X. Hft. 3. s. 106.

1828 Massiliae saeviit <sup>1)</sup>, de qua jam saepius locuti sumus.

Verum quidem est variolam vaccinam nostro tempore ut plurimum non plane convenire cum illa, quam descripsit Jenner, sed verum quoque est Jennerum non semper tam perfectas pustulas observasse, eumque pulcherrimas praesertim descripsisse; ex ipsius opere, jam supra laudato, patet eum, ad describendas pustularum formam et proprietates, illas elegisse, quae ei perfectissimae viderentur. Nonnunquam tamen decursus variolae vaccinae et hodie bene convenit cum decursu a Jennero descripto, et saepius observari licet lympham ex pustula parva, parum evoluta, desumptam, pustulas producere pulcherrimas, cum Jennerianis prorsus fere convenientes, quod et ipsi interdum observavimus. Insitio cum lymphâ perfecta, recens a vacca desumpta, fiat in infante valde scrofuloso, aut rhachitico, aut alia dyscrasia laborante, et videbimus pustulas eruptas parvas esse, maleque evolutas, nequaquam pustulis a Jennero descriptis similes.

Non tantum ex pustulis effecerunt minorem vaccinae efficacitatem, sed etiam ex symptomatibus generalis reactionis, coenaesthesi vitata, dolore sub axillis, febre sic dicta vaccinali, aliis, hodie longe minus evidentibus, quam antea. Sic affert Nicolai febrem istam vacci-

---

<sup>1)</sup> Rapport sur l'épidémie, qui a régné à Marseille en 1828, par le Dr. Favart.

nalem Jenneri tempore interdum tam vehementem fuisse, ut periculum inde oriretur, argumento, virus fortius etiam vehementiorem in organismo reactionem excitare <sup>1)</sup> Patet vero ex Jenneri opere febrem vaccinale non tam vehementem, quam contendit Nicolai, fuisse; et plura exempla inveniuntur, quibus liquet variolae vaccinae decursum jam Jenneri tempore benignum fuisse; sic legimus in epistola, quam ad Jennerum scripsit Doct. Marshall, anno 1799: ex numero 211 hominum, sive majorum natu, seu minorum, quibus inseverat variolam vaccinam, nullum post insitionem tam graviter fuisse affectum, ut ad negotia solita gerenda non valeret <sup>2)</sup>. Quod num hodie de eodem numero affirmari possit, dubitamus.

Jam annis 1815 et 1816 observatum fuit, illos, quibus ante plures annos insita erat vaccina, eo profecto tempore nondum debilitata, saepius variolis corripitur, quam illos, qui ante paucos annos insitionem subierant; et hodie idem observamus: in epidemia variolosa immunes vulgo manent, licet non semper, qui paullo ante insitionem passi sunt. Vaccinae insitionem et hoc, quo vivimus, tempore, a variolis tueri posse multis exemplis docemur; unum ex his afferre sufficiat. Narrat Baumgaertner de epidemia variolarum in oppido Riegen,

---

1) Erforschung der alleinigen Ursache des immer häufigern Erscheinens der Menschenblattern bei Geimpften. Berlin, 1833.

2) Cf. Smeets, l. c. p. 115.

in regno Wurtembergiae grassante; jam multi variolis correpti erant, ac plures morbi vehementiae succubuerant; instituta vaccinae insitione altera vice in 910 hominibus, prima vice in 72, epidemia momento quasi suppressa est <sup>1)</sup>). Atque talia multa afferre possemus.

Alii adhuc minorem vaccina efficacitatem ex cicatricibus post insitionem relictis, hodie minus quam antea evidentibus et perfectis demonstrare voluerunt, ita affirmant *Kaizer* <sup>2)</sup>, *Franque* <sup>3)</sup>, aliique cicatrices eorum, quibus insita fuit vaccina primis huius saeculi annis, majores esse, profundiores, quasi punctatas et coloris flavescentis, dum illae, quae nunc oriuntur, minores essent, magis rotundae, planiores, minus punctatae et albidi coloris. At vero nunc quoque post insitionem saepe relinquuntur perfectae cicatrices, et uti jam pro parte vidimus, et postea clarius adhuc videbimus, ex cicatricibus solis de majori aut minori vaccinae efficacitate iudicium ferri nequit.

Multi sunt, qui credant facta insitione proclivitatem ad variolas plane deletam esse, illam vero sensim sensimque redire, ita ut proclivitas ad morbum variolosum cum annis denuo incresceret. Etiam si verum sit pluri-  
mos eorum, qui varioloidibus corripiuntur, jam ante

---

1) *K. H. Baumgaertner*, Handbuch der speciellen Krankheits- und Heilungslehre. Stuttgart 1841, B. I. s. 237.

2) *Henke's Zeitsch.* Abschn. III. 1830. Ht. 2. s. 414.

3) eodem loco, Jahrg. VIII, Ht. 41.

plures annos insitionem subiisse, aeque verum est complures longe citius, data occasione, morbo corripì, quae de re legantur imprimis Cripp<sup>1)</sup>, Gibson<sup>2)</sup>, et Dufresne<sup>3)</sup>, ex quorum scriptis patet, plures, paucis tantum annis, imo nonnullis interdum mensibus, post factam insitionem praeterlapsis, variolis fuisse correptos; multosque adhuc, si opus esset, auctores, idem testantes, citare possemus.

An necesse est novam interdum lympham a vaccis petere?

Quod si verum est, efficacitatem vaccinae variolae minorem factam esse, profecto nova lympham a vaccis esset petenda; vidimus autem argumenta a multis allata nequaquam sufficere ad hanc minorem efficacitatem probandam.

Breviter adhuc loquamur de decursu insitionis cum lympham immediate a vacca desumpta, aut saltem valde recenti, institutae. Plurimi auctores testantur pustulas hac ratione obortas majores esse, magis cum illis, quas Jenner descripsit, convenientes, symptomataque generalia esse intensiora; alii contra nullam aut exiguam inter huius insitionis decursum, et eius, quae

---

1) *Small-pox and cow-pox*; comprehending a concise history of those diseases, etc. Cambridge, 1825.

2) Thomson, *On account of the varioloid epidemia, etc.* London, 1820.

3) *Biblioth. univers. des sc. et des arts*, T. XXVIII, p. 248.

ope lymphae, ex humanis pustulis desumptae, instituebatur, differentiam observare potuerunt, uti inter alios affirmant Meissner <sup>1)</sup>, et Scheltema <sup>2)</sup>. Etiam si probatum esset, symptomata tam localia, quam generalia, fortiora esse, facta insitione cum lymphâ recens e vaccarum pustulis desumpta, hanc ob rem nequaquam certiores facti essemus de majori huiusmodi insitionis prophylactica virtute, quamdiu experientia hanc majorem virtutem nondum comprobaverit.

Non semper prophylaxis perfectiorem esse inter alia pateret ex exemplo a doct. Meijer allato infantis nova lymphâ vaccinati, et antequam annus praeterlapsus erat, varioloidibus correpti <sup>3)</sup>.

---

1) Die Kinderkrankheiten u. s. w., T. II, p. 527.

2) Krugelstein, o. c. p. 38.

3) Meissner, o. c. p. 528.

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE REVACCINATIONE.

#### § 7.

##### *De revaccinationis effectibus.*

Varioloidum frequentia semper increscente, multi de perpetua vaccinae insitionis prophylactica virtute dubitantes, aut talem perpetuam virtutem prorsus denegantes, ad iteratam insitionem confugerunt. Nonnulli post decem annos rediisse proclivitatem opinantes, hoc imprimis tempore revaccinationem instituendam esse contenderunt, alii insitionem alio tempore repetere voluerunt. Omnis omnino aetatis homines variolis aut varioloidibus corripī posse experientia frequens comprobavit, licet verum sit plurimos corripī decem aut pluribus annis post factam insitionem praeterlapsis; hoc igitur tempore, nisi urgeat casus, potissimum instituat<sup>ur</sup> altera insitio.

Videamus primum, quinam sint revaccinationis effectus, quo facto, de illius utilitate, atque de iis, in quibus iterata ista insitio necessaria esse videtur, breviter adhuc disseremus.

Docuit experientia insitionem alteram, immediato

post priorem institutam, vulgo aut nullas pustulas producere, aut tales producere quidem, sed parvas et imperfectas. Si post primam insitionem vaccinae variolae decursus quacunq̄ue demum causa fuerit imperfectus, causa illa non sublata, vaccinae quoque iterum insitae decursus imperfectus erit; saepe etiam altera vaccinatio non praestabit effectus deleta priori insitione proclivitate ad variolas.

Revaccinationis seriori demum tempore factae eventus valde diversus fuit. Sic Neubohr, Schneider, Ratier, alique fere absque effectu alteram instituerunt insitionem, dum Reuss, Sacco, de Carro, Gitterman, Lueders, alii, rarissime perfectas pustulas, post revaccinationem oriri viderunt <sup>1)</sup>. Alii vero multi meliores inde effectus observarunt, attamen quoque valde diversos.

In regno Borussiae anno 1831 omnium militum revaccinatio, sive laudabiles prioris insitionis offerrent cicatrices, seu nullas aut imperfectas, lege praescripta est; ex tabulis editis patet revaccinationis successum quotannis majorem fieri: ita anno 1833 ex centum militibus altera vice vaccinatis 33 bonas obtulerunt pustulas; anno 1836 ex centum bono successu secundam insitionem subierunt 43, anno 1839 ex centum 46. —

---

1) J. B. Dompeling, D. de Varioloidibus et vaccinae insitione. T. ad R. 1840. p. 57.



In nonnullis Wurtembergiae partibus 30% bono eventu passi sunt revaccinationem, in aliis 70%. In Gallia effectus alterius insitionis differunt, prouti institueretur cum lympha renovata (i. e. recens a vacca desumpta, et in hominem translata), aut non renovata: altera insitio cum lympha non renovata instituta apud 10 de 100 bonum successum habebat, cum lympha vero renovata apud 20 de 100. Differentia inter numeros pro diversis regionibus allatos, ut videmus insignis est, et insignior adhuc fit, siquando eventum in urbe Petersburg observatum cum illo, quem in aliis regionibus obtinuerunt, comparamus. Ex 100 enim, quibus altera vice inserebatur vaccina, quorumque prior vaccinatio absque ullo dubio bona fuit, non nisi tres legitimas prorsus pustulas obtulerunt <sup>1)</sup>).

Quibus altera vice variolam vaccinam insevit doct. van der Leeuw, in urbe Amersfoort atque in pago Bunschoten, iis, dummodo regularis fuisset prioris insitionis decursus, ut plurimum aut nullae, aut valde imperfectae venerunt pustulae.

Quaenam huius differentiae causa esse potest? Num proclivitas ad variolam vaccinam in hac regione major est, minor in illa? Non verisimile est. Bene quidem fieri potest ab aliis bonam revaccinationem dici, quam alii ita non vocant. Sic Galli opinantur revaccinatio-

---

1) Comptes rendues etc. No. 10. 1845.

nis successum perfectum non fuisse, nisi cum localibus symptomatibus etiam plus minusve prodeant symptomata generalem reactionem denotantia. Num idem in aliis etiam regionibus obtineat nec ne, nescimus; hoc autem certum est proclivitatem ad variolam vaccinam in nonnullis Wurtembergiae partibus proclivitatem in aliis ita superare non posse, ac supra vidimus, nisi perfecta revaccinatio ab aliis vocetur, quam alii talem non habent. Quo imperfectior quacumque demum causa fuerit prior variolae vaccinae insitio, eo perfectior, sublata saltem causa, in plurimis casibus, altera insitio erit.

Primo adspectu quidem quis credere posset revaccinationis successum pleniorum esse debere in hominibus cicatrices aut nullas aut imperfectas saltem offerentibus, minorem vero in illis, quorum cicatrices normales sint. Hoc tamen non ita esse docuit experientia. Sic in Wurtembergia altera vice insita fuit variola vaccina 14,384 militibus, quorum 7,845 normales offerrent cicatrices, eo cum eventu, ut ex centum revaccinatis, bonas, priori insitione relictas, cicatrices monstrantibus, 31 cum successu alteram insitionem subierint, ex 100 vero, quorum cicatrices vitiosae erant, aut nullae prorsus, 28 tantum <sup>1)</sup>). Atque hoc non unicum huiusmodi exemplum est, alia adhuc, si opus erat, afferre posse-

---

1) Comptes rendues etc.

mus, quorum autem enumeratio supervacanea foret, omnibus idem docentibus.

### § 8.

#### *De revaccinationis utilitate.*

Antequam ad quaestionem propositam responsum dare possimus, aliam solvere oporteret, hanc nimirum: quibus signis virtus vaccinae prophylactica perpetua cognosci potest?

Prophylaxin pro multis, imo pro plurimis, esse perpetuam frequentissima docuit experientia, pro multis autem non esse itidem docuit. Qui vero hos ab illis distinguimus?

Ex solis cicatricibus perpetuam aut non perpetuam immunitatem efficere non possumus, imprimis quia multi auctores perfectas sic dictas, aut laudabiles cicatrices tam diversimode describunt. Insita vaccina lympha, ex perfecta pustula, et a sano infante, apto tempore, desumpta, infanti prorsus sano, jam aliquot saltem menses nato (caveatur tamen, uti jam supra vidimus, ab insitione dentibus erumpentibus); instituta porro insitione nullo modo turbata, decursum ad finem usque regularem habente, et cicatrices relincente magnas, satis profundas, margine inaequali, fundo striato et quasi punctato, reliqua cute non albidiores (exceptis forsitan illis, quorum cutis profundius colorata est), non laeves,

neque splendentes, prophylaxin perpetuam fore magna veritatis specie conjicimus quidem, at vero certo affirmare non possumus. Si igitur neque de illorum, quibus ipsi insevimus vaccinam variolam, immunitate prorsus certi sumus, eo incertiores sumus de aliis omnibus, quibus non insevimus, si ex solis cicatricibus de effectu insitionis institutae nobis judicandum est; cicatrices enim temporis lapsu et mutari possunt, et mutantur saepius, interdum fere plane disparent, absque eo ut virtus insitionis prophylactica exinde imminuta sit. Cutis structura, color, laesio major aut minor pustularum post vaccinae insitionem, aetas qua fuit instituta insitio; aliaque cicatricum formam et indolem magis minusve modificare possunt, ita ut fere absentibus cicatricibus nequaquam praesentem ad variolas proclivitatem affirmare nobis liceat; hoc tantum constare videtur, cicatrices parvas, rotundas, aequales, planas, cum fundo non striato, laeves, admodum albas, falsis sic dictis variolae vaccinae pustulis esse relictas.

Num ex revaccinationis effectu ad praesentem aut absentem proclivitatem ad variolas concludi potest? Multi sunt, qui credunt. Sic doct. Sas in opere laudato (p. 28): »Noch door het waarnemen van het beloop »der koepokken,» inquit, »noch door het aanwezig »zijn der reactie bij dezelve, noch door het nablijven »van behoorlijke likteekenen, kan men weten of zich »al of geene vatbaarheid heeft ontwikkeld. Alleen

»door de uitkomsten, bij de revaccinatie verkregen;  
 »kan men bepalen, of er al of niet, veel of weinig  
 »voorbekendheid tot besmetting door pokgift bestaat.

»De revaccinatie is alzoo de eenige pokken-dispositie-  
 »meter, waardoor aangewezen wordt of het individu  
 »al dan niet, en door welken *graad* of *vorm* van  
 »pokken, bij gelegenheid tot besmetting, zal worden  
 »aangetast; want de echte koepok staat in dezelfde ver-  
 »houding tot de valsche, als de ware pokken staan tot  
 »de varioloiden; naarmate nu het individu verder van  
 »het tijdstip, waarop het pokken of koepokken heeft  
 »gchad, verwijderd is, naar die mate gelukt de revac-  
 »cinatie des te beter, ten minste tot zekeren leeftijd.»

Succedente vero revaccinatione non semper adesse  
 proclivitate ad variolas multis exemplis probare pos-  
 sumus.

Multa [nimirum millia hominum, saepius contagio  
 varioloso expositorum, bono tamen successu alteram in-  
 sitionem subierunt. Multis, qui antea veras variolas  
 erant perpassi, fausto eventu insita est variola vaccina.  
 Sic legimus de centum medicis, in Gallia praxin exer-  
 centibus, cunctis variolas perpassis, contagio, ut cuiquam  
 patet, saepissime expositis, illique prorsus insensibilibus,  
 pleno successu revaccinatis <sup>1)</sup>; sic doct. Heim post-  
 quam fratrem, variolis confluentibus decumbentem, cu-

---

1) Comptes rendues etc. 1845, No. 10.

vaverat, tribus septimanis post sibi iniecit variolam vaccinam, et provenerunt pustulae normales, normalem decursum tenentes <sup>1)</sup>); in urbe Kasan revaccinati sunt 1,436 homines, qui antea veris variolis laboraverant; successit insitio apud 271, eruperunt quidem pustulae sed imperfectae apud 84 <sup>2)</sup>). Num igitur in omnibus hisce proclivitas ad variolas redierat? Profecto non; rari enim, ut novimus, casus sunt, in quibus veris variolis bis idem corripitur homo, rari etiam sunt, in quibus, perpeisis semel variolis, varioloidibus afficitur.

Proclivitas ad vaccinam variolam redire itaque potest, prorsus absente proclivitate ad variolas ipsas.

Proclivitatem ad variolas adesse posse, absente, pro tempore saltem, proclivitate ad variolam vaccinam, effici posse videtur ex sequenti casu, a doct. van der Leeuw, in epistola ad Clar. Suerman jam supra laudata, allato. Puellae, cui antea frustra erat iusita vaccina, grassante epidemia in pago Bunschoten, bis iniecit variolam vaccinam doct. Vir, attamen sine successu; lympham adhibitam non esse culpandam ex eo patet, quod eodem tempore, eadem lympham alii infantes pleno successu vaccinati sunt. Hanc igitur puellam contagio varioloso prorsus insensibilem fore, quis non credidisset? En vero brevi post variolis veris, confluentibus corripitur.

---

1) Comptes rendues. l. c.

2) e. l.

Ex allatis igitur haec conclusio petenda videtur: ab omni parte certi de plena et perpetua a varioloso morbo immunitate numquam sumus; hoc quidem novimus plurimos perpetuo esse praemunitos, non tamen certo determinare possumus illum data occasione immunem fore, hunc contra non fore. Certius est fere omnes, in quibus vaccinae variolae decursus aut prava, quae adhibebatur, lymphae, aut morbosa corporis conditione, aliave de causa, turbatus fuerit, contagio longe facilius affici, quam illos, in quos potentiae illae nocivae non egerint; excipiantur, ut patet, illi, qui vaccinae contagio prorsus insensibiles sunt, nam uti dantur homines, qui, licet saepius contagio varioloso exponantur, numquam tamen variolis corripantur, sic dantur etiam, quibus frustra saepius inseritur vaccina variola.

Utilem esse revaccinationem, etiamsi saepissime supervacaneam, multis exemplis demonstrari posset, unum alterumque horum afferre lubet. Revaccinatione militum in Borussia lege praescripta, varioloides, antea satis frequentes, fere penitus evanuerunt; ab anno enim 1836 ad 1839 non plus quam 36 milites varioloidibus sunt correpti <sup>1)</sup>; in regno Wurtembergiae ex 44,248 revaccinatis quatuor tantum spatio quinque annorum variolis correpti sunt; dum annis quinque prae-

---

1) Comptes rendues, I. c.

cedentibus 1,056 vaccinati variolis fuerant affecti <sup>1)</sup>).

Revaccinationem non semper quidem, sed tamen in omni fere casu a varioloso morbo tueri, jam ex allatis exemplis effici poterit.

### § 9.

#### *De revaccinationis necessitate.*

Multi medici cunctos homines iterata vaccinae insitione certius adhuc praemunire cupiunt, alii revaccinationem commendant quidem, sed in iis tantum, de quibus incerti sunt, utrum antea instituta insitio bene processerit nec ne; alii demum, at vero pauci, alteram insitionem inutilem habent. Secundam insitionem saepissime succedere absente proclivitate ad variolas jam vidimus; num verum sit, quod multi credant, non quidem omnes, in quibus succedit iterata vaccinatio, ad variolas proclives esse, sed tamen nullos corripri praeter eos, in quibus secunda insitio bono eventu instituta foret <sup>2)</sup>, certo affirmare non audemus, utique autem, saltem in longe plurimis casibus, verisimile videtur.

Quibuscumque, scrofulosa, rhachitica, aliave dyscrasia laborantibus, quibus dentitionis periodo, quibus sine successu, insita fuit variola vaccina, iis omnibus

---

1) o. l. Vide etiam F. Heim, *Historisch-kritische Darstellung der Pockenseuchen etc.* Stuttgart, 1838.

2) *Comptes rendues etc.*



altera vice inseratur; de illorum enim immunitate prorsus incerti sumus. Non tamen repetatur insitio ante sanatam dyscrasiam, non fiat, nisi aliquot annis post prius factam insitionem praeterlapsis; constat enim raro succedere alteram insitionem brevi post priorem institutam; epidemia vero grassante citius fiat revaccinatio, nam absque ullo periculo institui potest, si modo bene instituitur, i. e. si lympham adhibetur ex perfecta pustula, de sano infante, apto die, desumta.

Venit ingens eorum numerus, ex quorum remanentibus cicatricibus de insitionis praegressae effectu iudicandum est: revaccinationem esse instituendam in omnibus dyscrasia quadam adhuc laborantibus, aut talis saltem dyscrasiae signa et reliquia etiamnunc prae se ferentibus, jam ex supra dictis effici potest. At vero prudentia jubet secundam insitionem quoque in aliis instituere, nam etiamsi perfectae adsint cicatrices, nondum certi sumus contagium variolosum data occasione non vim habiturum esse, uti quoque incertum est cicatrices aut vitiatas aut nullas proclivitatem majori minorive gradu praesentem indicare. Minus autem necessaria videtur revaccinatio in iis, qui, etsi natu majores, et saepius contagio varioloso expositi, morbo tamen non correpti sint.

Restat ut de illis verba faciamus, quibus aut ipsi insevimus variolam vaccinam, aut quibus ab aliis fuit insita plenissimo successu, adhibita omni, quae adhi-

heri possit, cautela. Rariori, imo rarissimo tantum, casu tales homines morbo corripitur certum quidem est, at vero illos interdum etiam corripitur experientia comprobatum videtur; nam uti dantur, qui bis veris afficiantur variolis, sic dantur quoque, qui licet praegressa vaccinae insitione ab omni parte immunes viderentur, tamen contagio inficiantur. Etsi demonstratum esset, illorum, de quibus nunc sermo est, nullum morbo corripitur posse, nisi eum, qui oblata occasione post semel perpassas variolas altera vice variolis correptus foret, tamen et huic prospiciendum est, et in omni casu tutius erit eos omnes etiam secundae insitioni submittere, sed submittere tantum grassante epidemia, et annis aliquot post priorem insitionem praeterlapsis; praestat enim insitionem, quamvis non necessariam, instituere, quam necessariam ommittere.

---

Debita semper cura insita vaccina, accurata omnium insitionum historia servata, de prophylactica vaccinae insitionis virtute hodie verosimiliter certiores facti essemus, nunc autem hac de re certi non sumus; hoc quidem constat plurimos, quibus semel fuit insita vaccina, pro vita esse praemunitos, et grassantibus epidemiis numerum eorum, qui, licet vaccinati, morbo varioloso corripiantur, longe minorem esse, quam eorum, quibus

non fuerat insita variola vaccina, attamen nequaquam semper determinare possumus, quare alii morbo semper immunes sint, alii vero non sint. Multa igitur et in hac scientiae medicinae parte, uti in omnibus aliis, supersunt dubia atque obscura, verosimiliter numquam illustranda; nam etiamsi ab hoc inde tempore vaccinatio non nisi omni adhibita cautela institueretur, semper tamen de perpetua in omni casu variolae vaccinae insitionis prophylaxi dubii haeremus, quandoquidem numquam neminique licet ullum hominem morbo forsan gravi exponere scientiae promovendae causa; etiamsi enim scientiae progressibus omnino sit prospiciendum, hominum saluti magis adhuc prospicere medicum oportet.

TANTUM.

---

## THESES.

---

### I.

Non omnes fibrillae nervosae, ita dictae cerebro-spinales; e cerebro oriuntur.

### II.

Nondum evictum est, qua ratione sanguini venoso acidum carbonicum insit.

### III.

Nisus formativus non est vis systemati nervoso propria.

### IV.

Non assentimur Mullero dicenti: »die Harmonie der zum Ganzen nothwendigen Glieder besteht nicht ohne den Einfluss einer Kraft, die auch durch das Ganze hindurchwirkt, und nicht von einzelnen Theilen abhängt, und diese Kraft besteht früher, als die harmonischen Glieder des Ganzen vorhanden sind.»

## V.

In asphyctico unicum mortis signum non fallax est putrefactio.

## VI.

In intoxicatione per opium acida administrare malum.

## VII.

Recte Orfila: » dans aucun cas l'existence d'un poison dans une matière suspecte ne suffit seule pour conclure à un empoisonnement, et il faut nécessairement joindre à cet élément important de l'expertise médico-légale les preuves tirées des symptômes éprouvés par les malades, et souvent aussi des altérations de tissu trouvées après la mort.»

## VIII.

Recte Delpit: » la médecine populaire ou domestique sera toujours l'imposture d'un avide charlatan, lorsqu'elle ne sera pas le rêve d'une ame bienfaisante.»

## IX.

Ex signis physicis ita dictis certa diagnosis nequaquam semper petenda.

## X.

Phthisis tuberculosa adesse potest absentibus signis physicis.

## XI.

Tuberculosis et scrofulosis affines quidem sunt, non vero unum faciunt morbum.

## XII.

Hepatis abscessus, laesionibus capitis, aliarumque partium, succedentes e phlebitide secundaria saepissimo oriri videntur; non assumenda est materialis puris translatio.

## XIII.

Male multi apoplexiam cum somno profundissimo comparant.

## XIV.

Paracentesis thoracis in genere non juvat, saepius nocet.

## XV.

Ubi hernia incarcerata est, neque cito reponi potest, ad herniotomiam est transeundum; operatio enim bene facta non periculosa est, neglecta vero illa eventus fere semper erit lethalis.

## XVI.

Furunculorum per aquam frigidam curatio, quam nonnulli commendant, reprobanda videtur.

## XVII.

Praeter sonum ita dictum uterinum, et foetus cordis pulsationem, stethoscopii ope in gravidis interdum etiam pulsatio funiculi umbilicalis percipi potest.

## XVIII.

Auscultatio unicum signum vere pathognomonicum foetus mortis praebet, omnia alia signa fallere medicum possunt.

---